



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In  
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

**Chokier, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

Reg. XL. de Clausula ponenda in litteris permutationum beneficiorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

## COMMENTARIA IO. A CHOCKIER.

- A** **Q**uod non removeretur ) Ad stipulatur Rebuff. in addit. ad hanc regulam per nos, Archid. in c. presentis de off. ord. in 6. vel nisi beneficium alias manuale factum esset perpetuum consuetudine vel prescriptione, ut fieri potest, *Molin. in cap. verbo religiosus non potest consentire num. 9. Gambart. tract. de off. leg. lib. 4. c. 3. n. 19. text. in cap. cum de ben. 5. de preb. in 6. maxime si ejusmodi consuetudo, vel prescriptio processerit à tempore, quo sciente & patiente illo qui jus removendi pretendit, fuit aliquis provisorius in titulum perpetuum, & talis provisorius habuit effectum Gonzales ad Reg. & Cancell. glo. 5. §. 6. num. 24 & seqq.*
- B** Non credo quod secretarius ) Vide hac de re Vestrum in praxi lib. 1. c. 7. ubi loquitur de officio & potestate Secretarii Apostolici.

*Argumenta in Regul. XXXVIII. INNOCENTII VIII.  
qua est XI. PAULI V.*

1. Hæc Regula conformis est juri communi.
2. Cautela contra hanc Regulam.
3. Camera Apostolica raro servat regulam, ut & aliquot sequentes.
4. Clausula istius Regulæ, etiam si non apponantur, pro appositis tamen de jure habentur.
5. An hæc Reg. sit de dandis.
6. Compermutans si non habuerit jus in beneficio renunciato, an alter possit redire ad suum beneficium, sine nova collatione?
7. Cautela pro compermutante ubi constat alterum nullum jus habuisse in beneficio. Clem. Auditor de Rescript. an habeat locum extra Curiam?
8. Ampliorem Jurisdictionem habet extra Curiam Delegatus, quam Auditor.
9. Clausula istius Regulæ, de jure sunt contra. permutationis, id est si non apponantur, non vincunt Regulam.
10. De jure permutatio non subsistit nisi beneficium sint permutantibus propria.
11. Compermutans potest redire ad suum beneficium sine nova collatione, consensu tamen superioris accedente, si alter nihil juris habebat in beneficio permutato.
12. Renunciatio ex causa permutationis veram inducit vacationem.
13. Permutatione effectum non secuta, quando liceat auctoritate propria regredi ad beneficium.
14. Jus non abdicatur à resignante vel compermutante, nisi resignatarius.



vel compermutans acceptet.  
 Possessio beneficii non simpliciter  
 cessa, sed in favorem, non abdicat

ius à cedente, nisi probetur ab eo  
 ceptam fuisse, ad cuius favorem ces-  
 sa fuit.

*Regula xxxviii. INNOCENTII VIII.  
 quæ est PAULI V. Regula. xl.*

DE CLAUSVLA PONENDA IN LITTERIS  
 PERMUTATIONUM BENEFICIORUM.

Item si committatur alicui beneficii resignationis receptio, ponatur clausula, Attentè quod provideas &c. cisi ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula quod Neutri permutantium jus acquiratur, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

GLOSSEMA ALPHONSI.

¶ *Regula dicit quod si committatur alicui quod recipiat resignationem alicuius beneficii, debet Abbreviator ponere in Bulla. Attentè quoque provideas, quod in renunciatione prædicta, vis, metus, ac aliqua simoniaca pravitas non interveniat &c. hoc est quando simpliciter debet fieri renunciatio: sed si committatur sibi quod recipiat ex causa permutationis, tunc debet poni clausula ista, quod neutri permutantium jus acquiratur, nisi in quantum quilibet ipsorum jus habuerit &c. hoc dicitur. Et de prima clausula oportet divinare quid velit dicere, sed referas te ad copias Abbreviatorum: nihilominus tamen illa est quam dixi, & fundatur in cap. super hoc de re-nunciat. & de secunda clausula est æqua ista regula, quia solet, ex causa permutationis in supplicatione illa clausula vel alio quovis modo vacaverit &c. nam si tunc ponatur illa clausula de qua in Regula nihil prodest illa clausula, vel alio quovis modo vacaverit: quod est ut illo ad limitationem glos. & doct. in c. susceptum de rescript. lib. vi. & ad limitationem decisionis rot. e. quam superius allegavi.*

¶ *Item non posset dici tunc quod quando Papa confirmat id quod alias de se est nullum videtur aliquid facere de novo si facit ex certa scientia ut dicit Glos. nor. in c. placuit. q. vi. tamen quando ponitur ista clausula hic expressa, secus esset: quia non videtur Papa facere ex certa scientia: ideo cautela posset esse contra istam Regulam, quod si transire Bullas cum clausula vel alio quovis modo ex ipsius vel alterius &c. sine ista*

Ccc 3,



ista clausula, facias expediri per Cameram, ubi raro servantur ista Regula. Et credo quod non sit danda ista Regula: quia non concernit nisi expeditionem Bullarum, et si non ponantur iste clausula, tamen intelliguntur de iure, maxime illa secunda, quia nemo potest plus iuris in alterum transferre, quam sibi competere dignoscatur, c. nemo de reg. jur. lib. vi. c. quod autem, de iure patr. Ideo Auditor cause preter hoc non debet mittere bullas ad Cancellariam si non est ista clausula in eis. Item quia non est danda ista Regula ut dixi. Cogitandum tamen est quando danda est Regula vel non: quia si habet decretum, irritans est danda: alias secus: Ita dixit mihi Iacobus de Rizonib, Abbeviator bene stylatus & doctus.

Et per hanc clausulam positam in bullis permutationum vidi dubitari in Curia, si non permutans non habet ius in beneficio renunciato per se, & de hoc apparet per sententiam, an alius potest redire ad beneficium suum propria auctoritate absque nova collatione? certe videbatur quod sic: quia ipse cui est facta collatio ex causa permutationis nullum ius habet in beneficio per hanc clausulam, & facit ad hoc text. notab. in c. si beneficium de preb. lib. vi. & hoc vult Io. And. in capitulo unico, de rerum permut. lib. vi. quem sequitur Fredericus in tract. permut. in viii. q. & etiam ibi Doctores loquuntur quando ista clausula non ponitur, ergo e fortiori quando ponitur ista clausula hanc Regula: sed certe licet videatur ipsa veritas, tamen communiter tenetur contrarium.

**B** in dictis locis & decis. Rotæ cccxxv. quæ incipit. Item si intelligimus & ccc. quæ incipit item si apponatur spoliato, & pro hac ratione videtur sacere, quia licet ille non habuerit ius in beneficio, quod obtinuit causa permutationis, per hanc clausulam, & per iura superius allegata, tamen ille qui renunciavit, etiam non habet ius in eo, facit c. 1. de rer. permut. lib. vi. & glo. in c. si propter tua debita de rescript. eodem lib. & sic potest dicere ille qui possidet, quod quoad eum, liberè possidet l. si. C. de rei vend. & l. loci §. competit ff. si servitus vendic. Opinio tamen contraria videtur valde aqua arg. cle. auditor de rescript. & d. c. si beneficia. Tamen casus est quod habeat ille commissionem in Curia, quod constituto de non iure compermutanti, committatur Auditori, quod canonizet primum titulum, &c. & sic fuit practicata in Rotæ ut dixit mihi Salmeron. & etiam credo quod per rescriptum potest fieri commissio ad partes per conquestum isto modo, quod iste iudex pronuntiet illud beneficium esse debitum illi compermutanti propter fraudem, & tunc potest sibi de illo providere arg. cle. auditor de rescript. per rationem scilicet ut circuitus evitetur, licet glo. 11. ibi dicitur quod illa cle. non habeat locum extra curiam. & hoc tenet Cardin. ibi sed lo. de signa videtur dicere oppositum, ibi, & hoc maxime, si collatio spectabat ad Papam, ut vult glo. in fi. ibi & Siculo in c. super de off. deleg. & hoc videtur verius: quia extra Curiam a fortiori debet evitari circuitus, quam in Curia, ergo &c. Item quia amplius iuris actionem habet Legatus extra curiam, quam Auditores in Curia propter presentiam &c.



## COMMENTARIA IO. ACHOKIER.

**T**amen intelliguntur) Sunt enim clausulae quae de iure insunt, id est si non apponantur, non vitiant gratiam, quia Papa praesumitur habere notitiam de consuetis apponi *Cresc. decis. 14. de Præb. maxime si secunda clausula non apponatur: cum de iure permutatio non subsistat nisi permutantibus beneficia sint propria, text. in c. 1. & ibi DD. in verbo sua beneficia de Rer. permut. in c. 6. Fred. de Senis tract. de permut. q. 10. ubi scribit quod quando unus ex permutantibus habet jus in beneficio, alter verò non, quod permutatio ipso iure non subsistat, cum ad hoc ut permutatio valeat, iura velint ut beneficia sint permutantibus propria* *ant venerabilis de exceptio DD. in d. c. 1. Hinc placuit Curiae Burdigalensium teste Paponio lib. 2. tit. de Resignat. arresto 16. permutatione cum Mevio factam à Titio, cuius iam ante beneficium per Sempronium certo modo erat impetratum, non fuisse, nec Mevii resignationem exinde secutam in praedictum dicitur impetrationis valuisse.*

**Communiter tenetur in contrarium)** Eidem opinioni & ego subscribo, motus auctoritate Rotae in una Gerundinen. Praesimonii 7. Julij 1593. coram Litt. & in una Cochen. apud Achillem de Grassis decis. 403. Aufrey ad decis. Capella Tholosanus 160. in si. Marian. Socini consil. 168. in pr. ubi scribit hanc sententiam magis esse communem & in praxi receptam, quae de re latius scripsi in tract. de permutat. benef. p. 3. cap. ix. num. 3. & ratio est, quia per resignationem etiam ex causa permutacionis inducitur vera vacatio utriusque beneficii compermutati & permutacione expedita neuter permutantium habet jus in suo pristino beneficio, dictis iuribus quibus, adde Rotam Besignet. decis. 3. utrum permutantes, tenent permut.

**Qui renunciavit etiam non habet ius)** Non: cum renunciatio ex causa permutacionis veram inducat vacacionem, & sic tituli extinctionem *VVamesius consil. 107. num. 10. vel 1. & consil. 251. vol. 1. Marian. Socinus consil. 168. in pr. Achill. de decis. 403. num. 4. atque ita, vel opus est nova collatione DD. supra citati vel altem consensu, seu autoritate superioris, qui est ad instar collationis in quomodocumque regressu, sive reversione, Redoanus tract. de Simonia p. 2. c. 10. num. 28. cap. de lirr. grat. tit. de var. mod. vacat. s. f. num. 14. id quod pluribus ostendi in d. meo tract. de permut. ben. c. 9. p. 3. Verum, quae ibi & supra scripsi, sic velim interpretari, ut tum demum non liceat propria autoritate regredi ad beneficium si ex causa permutacionis dimissum, si collatio & acquisitio sic vacantis beneficii facta sit, & resignatarius seu compermutans illius possessionem acceperit nimirum*



nimirum quia tunc resignatio plenum effectum sortita est, & vacationis modus sublatus est: ita ut superveniente causa resolvente effectum permutationis, non restituatur beneficium sine nova collatione, vel sine aliqua iudicii precedente sententia declaratoria, ut aperte ostendit Rebuff. *ad hanc Reg. in publ. resig. num. 31.* & Socinus *cons. 168. in fin.* quod secus esset, si res adhuc esse integra, & nuda duntaxat resignatio, quam secuta non fuisset collatio, aut permutationis acceptatio, quæ nisi interveniat, abdicatur jus à resignante seu commutante *c. si tibi absenti, de prob. in 6. Lucius lib. 2. placit. Curia Parisien. placit. 7. tit. 4. ubi in terminis,* adde Card. Seraphinum *dec. 773. num. 4. & 12.* in quibus possessionem beneficij non simpliciter cessam, sed in favorem, non abdicatur jus à cedente, nisi probetur ab eo captam fuisse, ad cuius favorem cessa fuit. & supradicta distinctio placuit D. Wamel. *cons. 341. in fin. vol. 2.* & puto equidem esse æquissimam, & unà mecum Clarif. D. Joan. And. Opicinus. eques auctor & in Romana Curia Advocatus percelebris, & ingenij ameni, atque sagacissimi. An autem interim resignanti cedant fructus, dicam infra ad Reg. XLIII. de Consensu in resignat. num. 12.

*Argumenta in Reg. xxxix. Innocentii viii.  
qua est xxxvi PAULI. V.*

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Papa ponendo clausulam suppletens omnem defectum, quos defectus supplere videatur.</p> | <p>Regulæ supplicationem signatam per <i>Concessum</i>. vel <i>fiat</i>, nisi addatur <i>ut petitur</i>.</p> |
| <p>2. Non sufficit quoad effectum hujus</p>  | <p>3. motus proprius, quos tollat defectus</p>   |

*Regula xxxix. Innocentij viii.  
qua est xli. Pauli v.*

DE SUPPLENDIS DEFECTIBVS.

Item voluit quod si petantur suppleri defectus in genere nullatenus littera desuper concedatur, nisi in petitione desuper huiusmodi defectus exprimantur, vel per *fiat ut petitur* supplicatio signata fuerit.

GLOSSE.